

autem anniversaria fundata non in die obitus sed in aliis certis et determinatis diebus, non debeant esse indicta in suffragium ipsorum testatorum, quia decreta de his agentia nihil ejusmodi exposcunt, sed possint fundari in suffragium parentum aliorumve (1); sequitur anniversaria fundata a testatoribus in suffragium aliorum, in die ipsorum obitus celebranda, iisdem gaudere privilegiis, si non vi decretorum pro anniversariis in die obitus relictis, saltem vi decretorum pro anniversariis in certis et determinatis diebus fundatis: sicut enim testatores assignare possunt certos et determinatos dies pro anniversariis in suffragium aliorum, sic pro iisdem dies ipsorum obitus eligere possunt.

Licet anniversarium, ut modo dictum est, debeat esse relictum ex dispositione testatoris, ut gaudeat privilegiis; ex privata tamen devotione petentium per annum anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis et aliis defunctis, missa cantari potest de *Requiem* in festo duplici minori (2), et etiam in duplici majori (3), dummodo sit in die vere anniversaria a die obitus. Sed notandam, cum S. R. C. non plus indulgeat, 1° hæc anniversaria ad petitionem vivorum de *Requiem* tantum cantari posse in duplici minori et majori, non in aliis diebus privilegiatis; 2° tantum de *Requiem* cantari posse in die obitus, et non in aliis, in quibus petuntur; 3° die obitus impedita, non posse anticipari aut transferri in aliam diem festo duplici impeditam, ut in eadem de *Requiem* cantentur (4).

4° *Quotannis* ut in decreto generali missalis et pluribus aliis additur: qua voce licet privilegia restringi videantur ad anniversaria, in perpetuum et pro singulis annis fundata; illa tamen, quæ ad determinatos annos sunt fundata, censenda sunt iisdem privilegiis gaudere, quia vox *quotannis* sensum reddit, quod non uno aut altero anno decantari queant, sed singulis annis, quatenus pro singulis annis fue-

(1) Cavalieri t. 3, dec. 39, n. 2

(2) 19 Jun. 1700, n. 3416-3565, 10.

(3) S. R. C. 23 Febr. 1884, in Neapolitana, n. 5907, 7.

(4) S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 5220; Cavalieri t. 3, dec. 35.

rint indicta (1). Cui expositioni favent decreta pro anniversariis fundatis in certis et determinatis diebus, in quibus vox *quotannis* non habetur.

5° *In die obitus* (2). Anniversaria pro die obitus fundata, in vero die obitus, et non in die sepulturæ vel aliis celebrari debent, quia in decretis dicitur *in die ipsorum obitus, diebus quibus defuncti sunt, in die veri obitus testatorum* (3), nisi tamen dies sepulturæ vel alia ex locorum consuetudine vel testatorum dispositione stata et fixa sit pro celebrandis anniversariis (4). Si anniversarium pro pluribus sit fundatum, vel plura anniversaria ob insufficientiam reddituum ad unum sint reducta, sufficit, ut sit in die obitus alicujus ex ipsis (5). Si non constet de diebus, quibus testatores mortui sunt, anniversaria cantari debent in diebus, quibus permittuntur missæ privatæ de *Requiem* (6).

Ex dictis patet anniversaria distingui posse in fundata et non fundata, de quibus supra ad 3 dictum est, et 2° in fundata in die obitus celebranda, quæ dici possunt anniversaria stricte dicta, et in fundata pro aliis certis et determinatis diebus.

**60.** Quibus diebus permittuntur anniversaria pro die obitus fundata?

R. Omnibus diebus, etiam in duplici minori et majori (7), ac in vigilia epiphaniæ (8). Excipiuntur tamen dies sequentes, in quibus prohibentur: 1° dominicæ et omnia festa de præcepto in populo (9); 2° duplica 1 et 2 classis (10); 3° dies infra

(1) Cavalieri t. 3, dec. 30, n. 3.

(2) Dec. gen. missalis 22 Aug. 1682, n. 2846-2995, 1; 23 Jan. 1683, n. 2865-3014; 10 Mart. 1708, n. 3633-3782; 5 Dec. 1733, n. 3871-4021.

(3) Cavalieri t. 3, c. 4, n. 7.

(4) S. R. C. 3 Mart. 1761, n. 4150-4299, 12.

(5) Cavalieri t. 3, dec. 30, n. 5.

(6) S. R. C. 10 Mart. 1708, n. 3633-3782.

(7) Dec. gen. initio missalis.

(8) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 5241, dub. II.

(9) S. R. C. 20 Nov. 1628, n. 628-775.

(10) S. R. C. 13 Sept. 1704, n. 3552-3701, 1.



octavas nativitatis Domini, epiphaniæ, paschatis, pentecostes, et ss. Corporis Christi, feria quarta cinerum, tota hebdomada sancta, vigiliæ nativitatis Domini et pentecostes (1). De octava Nativitatis Domini alii olim aliter sentiebant, sed et hanc anniversarium funus excludere constat ex infra citato decreto in Neapolitana (2). 4º Excipitur tempus expositionis ss. Sacramenti, quando, si ss. Sacramentum ob publicam causam seu detectum exponatur, anniversaria prohibentur ad omnia altaria; si autem exponatur ob causam privatam, prohibentur tantum ad altare expositionis, sed non ad alia altaria (3). Adeoque ss. Sacramentum ante missam deponendum est, et si deponi nequeat, ut in precibus 40 horarum et similibus, anniversarium anticipandum vel differendum est.

Si anniversaria diebus exceptis et impeditis occurrant, missa celebrari non potest de die per applicationem sacrificii, ut supra dictum est, sed anniversaria vel anticipari vel transferri debent in primam diem similiter non impeditam, licet in hac etiam duplex minus aut majus occurrat; et potius anticipantur ex decretis citandis, ut citius defunctis consulatur (4).

Not. 1º pro anniversario in hoc casu translato, licet ad plures dies ob octavam privilegiatam (5), cantari missam ut

(1) S. R. C. 20 Nov. 1677, n. 2695-2847; 2 Sept. 1714, n. 3970-4119, 4.

(2) S. R. C. 23 Febr. 1884, in Neapolitana, n. 5907, 8.

(3) S. R. C. 27 Ap. 1697, n. 3273-3422; 7 Maji 1746, n. 4032-4181, 9; Gardellini instr. Clem. § 17, n. 2-4. Vid. tom. II, n. 21.

(4) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 2198-2345, 6; 9 Jul. 1678, n. 2715-2864, 1.

(5) Anniversaria infra octavam privilegiatam occurrentia, posse et debere anticipari ante octavam, vel post eam transferri, et in prima die non impedita ante vel post octavam cantari de *Requiem* etiam in duplici majori, patet ex dec. S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 3328-3477, 16 et 22 Dec. 1753, n. 4088-4237, 4. His non obstat sequens decretum 3 Dec. 1701, n. 3455-3604, 3: « Utrum anniversaria perpetua in die obitus quotannis celebranda, » si contingat transferri ultra aliquas octavas privilegiatas, gaudeant, » adhuc, ut possint celebrari in duplici majori? Et S. R. C. censuit respondendum: Negative. » Quia, ut liquet, decretum agit de translatione anniversariorum non post unam sed post plures octavas privilegiatas, v. g. de translatione anniversariorum ex octava nativitatis Domini post octavam

in anniversario, sine variatione in collectis (1); 2º anticipationem vel translationem fieri posse et debere, sive anniversaria accidentaliter sive perpetuo sint impedita (2); 3º præter tale vel aliud rationabile impedimentum anniversaria tuta conscientia non posse transferri a die obitus vel alia die assignata (3); 4º si ultra primam diem non impeditam anticipentur vel transferantur, nullo gaudere privilegio (4), et in hoc casu orationes dicendas esse, non ut in missa anniversaria, sed *Inclina, Quæsumus*, ut inter orationes diversas pro defunctis (5).

**61.** Quibus diebus permittuntur missæ cantatæ defunctorum, fundatæ, sed non ut in die obitus celebrentur?

R. 1º Si a testatoribus certi et determinati dies assignati sint, de *Requiem* cantari possunt iisdem diebus ac anniversaria in die obitus; et si dies assignati impediti sint, eodem modo anticipari vel transferri possunt et debent (6).

Not. 1º Pro his cantandam esse missam quotidianam cum oratione conveniente *Inclina, Quæsumus*, etc. 2º Notanda sunt eadem, quæ ad quæstionem præcedentem 2º, 3º et 4º notata sunt. 3º Not. dubitari an missæ fundatæ pro singulis diebus vel aliquibus per hebdomadam, de *Requiem* iisdem diebus ac anniversaria cantari possint: licet enim a S. R. C. (7) concessum sit, ut tales missæ de *Requiem* cantari possint et debeant in duplicibus non de præcepto in populo; hæc tamen

epiphaniæ, in quo casu manifestum fit, anniversaria non posse cantari de *Requiem* in duplici; quia, ut hoc privilegio gaudeant, tantum transferri possunt in primam diem non impeditam, quæ in casu allegato est secunda Januarii.

(1) S. R. C. 4 Maii 1686, n. 2961-3110, 3; 22 Dec. 1753, n. cit., 2.

(2) Cavalieri t. 3, dec. 40, n. 3.

(3) S. R. C. 17 Nov. 1657, n. 1704-1851.

(4) S. R. C. 3 Dec. 1701, n. 3455-3604, 3; Cavalieri t. 3, dec. 40, n. 2.

(5) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 5241, 3.

(6) S. R. C. 4 Maji 1686, n. 2961-3110, 1; 22 Dec. 1753, n. 4088-4237, 1 et 4; 3 Mart. 1761, n. 4150-4299, 12; Cavalieri t. 3, dec. 39. Vid. dissert. 3, in fine tom. III, edit. 4.

(7) 1 Sept. 1607, n. 212-359; 20 Nov. 1628, n. 628-775.



decreta revocata esse videntur per dec. 3 *Junii* 1662 (1), quo declaratur, mediante tamen derogatione Pontificia super mentibus testatorum in casu, de quo agebatur, missas celebrandas esse de *Requiem* in diebus permissis, et in reliquis officio duplici impeditis de festo currente cum applicatione sacrificii.

R. 2º Si missæ sint fundatæ sine assignatione dierum, de *Requiem* tantum celebrari possunt illis diebus, quibus permittuntur missæ privatæ defunctorum (2). Si hæ missæ ex voluntate testatorum de *Requiem* celebrandæ sint, et dies, in quibus permittuntur, non sufficiant, petendum est indultum Pontificium, ut de *Requiem* in duplicibus celebrari possint (3).

Not. missas confraternitatis fidelium defunctorum, quæ cantantur menstrue, infra octavam fidelium defunctorum, vel infra annum pro defuncto confratre extra diem obitus seu depositionis, vel extra diem, cum primum nuntium accipitur de obitu; item anniversaria, quæ celebrantur a capitulis, collegiis, confraternitatibus, etc. pro omnibus in genere defunctis canonicis, confratribus, etc.; nec non anniversaria pro omnibus defunctis religiosis, benefactoribus, etc., ut a religiosis ordinibus fieri solet; absque speciali privilegio seu indulto de *Requiem* tantum celebrari posse diebus, quibus permittuntur missæ privatæ defunctorum (4).

DE DIEBUS TERTIO, SEPTIMO ET TRIGESIMO DEFUNCTORUM.

**62.** Præter diem obitus seu depositionis et anniversarium, dies tertius, septimus et trigesimus institutione antiquissima

(1) N. 2024-2171.

(2) S. R. C. 27 Mart. 1694, n. 3180-3329; 10 Mart. 1708, n. 3633-3782; 23 Aug. 1766, n. 4187-4336, 1; Cavalieri t. 3, dec. 39, 3.

(3) S. R. C. 17 Mart. 1629, n. 653-800; 5 Dec. 1753, n. 3871-4021; 1 Mart. 1777, n. 4231-4380; 28 Jul. 1832, n. 4545-4694, 1.

(4) S. R. C. 13 Jul. 1709, n. 3664-3813, 3; 5 Dec. 1733, n. 3871-4021; 8 Mart. 1738, n. 3925-4072, 2; 4 Sept. 1745, n. 4026-4175, 7; 25 Aug. 1818, n. 4399-4549, 3; 12 Nov. 1831, n. 4520-4669, 55; 7 Sept. 1850, n. 5146, 5.

in defunctorum memoriam præ ceteris ab Ecclesia solemnes habiti sunt, non quia missa iis diebus magis proficit defunctis, id enim esset superstitiosum, sed quia hi dies præ aliis plurimas mysticas rationes habent (1).

In diebus tertio, septimo et trigesimo missa canitur ut in die obitus, cum orationibus in fine ejusdem missæ assignatis. Aliis autem diebus intermediis, si pro eodem defuncto celebretur, dicitur missa quotidiana; et alius dies præter tertium, septimum, et trigesimum in orationibus numquam nominari potest (2).

Una missa de *Requiem* in diebus 3º, 7º et 30º cantari potest iisdem diebus ac anniversaria fundata; et si diebus vetitis occurrat, similiter anticipari vel differri potest cum eadem solemnitate et absque mutatione in collectis (3). Ut hæc missa his privilegiis gaudeat, non requiritur, ut defunctus sic ordina-verit, sed sufficit voluntas consanguineorum, amicorum vel testamenti executorum, modo missa cantetur (4): ita ut missa lecta de *Requiem* in minoribus ecclesiis, in quibus missæ cantari non solent, prohibeatur in diebus, in quibus prohibentur missæ privatæ de *Requiem*, et his diebus missa de officio currente legi debeat (5).

Missæ pro diebus 3º, 7º et 30º non uno eodemque die, nec etiam successivis, sed suis respectivis diebus, in quibus occurrunt, celebrandæ sunt. Hi dies possunt numerari a die obitus vel a die sepulturæ secundum diversam ecclesiæ consuetudinem, potius autem a die sepulturæ, si cadavera juxta patriæ morem vel alia de causa inhumata servantur, quia aliter dies tertius quandoque supprimeretur per diem sepulturæ vel post eum continuatim foret agendus (6).

(1) Gavantus p. 1, tit. 5, lit. b e d; Cavalieri t. 3, c. 4; Fornici p. 2, c. 34.

(2) S. R. C. 16 Jan. 1677, n. 2659-2811, 3; 9 Maji 1857, n. 5241, 3.

(3) S. R. C. 23 Maji 1603, n. 51-197, 5; 8 Mart. 1738, n. 3923-4072, 4; 4 Sept. 1745, n. 4026-4175, 7; 23 Aug. 1766, n. 4187-4336, 2; 2 Aug. 1783, n. 4261-4410.

(4) S. R. C. 22 Martii 1862, n. 5320, 2.

(5) S. R. C. 19 Jun. 1700, n. 3416-3565, 9; 23 Aug. 1766, n. cit.

(6) S. R. C. 23 Aug. 1766, n. cit.; 23 Maji 1846, n. 4904-5050, 13; Cavalieri t. 3, c. 4 ad 8.



**63.** Hac occasione notanda sunt sequentia quoad missas triginta, quæ pro recenter defuncto celebrari solent.

1° In decreto initio missalis prohibentur missæ non approbatae, nuncupatae s. Gregorii pro vivis et defunctis, etc.; hæc autem prohibitio non intelligitur de missis numero triginta, institutis a s. Gregorio lib. 4 Dialog. cap. 55 (1).

2° Ibidem tradit s. Gregorius, se, defuncto Justo monacho, Pretioso monacho hæc demandasse: "vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offer pro eo Sacrificium; stude ut nullus prætermittatur dies, quo pro absolute illius Hostia salutaris non offeratur. Absoluto missarum numero Justus monachus Copiosus apparuit, cui se purgatorii cruciatibus ereptum eo tempore nuntiavit: fratres vero (*inquit s. Gregorius loco cit.*) sollicitè computaverunt dies, et ipse dies extiterat, quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta." Hinc ritus has triginta missas celebrandi, coepit esse in maxima veneratione, quia ex communi fidelium sensu creditur peculiarem vim habere ad liberandas fidelium animas, non quidem ex numero triginta, quod superstitiosum est, sed, ut placet Quarti (2), vel quia s. Gregorius hanc a Deo gratiam impetravit, vel quia ipse, si tunc esset summus pontifex, indulgentiam plenariam concessit, seu eam a suo prædecessore obtinuit sub injuncto opere sacrificii per triginta dies.

3° Ad has triginta missas, institutas a s. Gregorio, requiritur, ut ex textu s. Patris patet, 1° ut missæ diebus triginta continuis dicantur sine interruptione et nullo prætermissio die, nisi occurrat triduum sacrum majoris hebdomadæ. Si autem alias discontinuantur, vel paucioribus diebus dicantur, valent tanquam triginta missæ, sed non ut eæ, quas instituit s. Gregorius. Et 2° ut sacrificium defuncto applicetur. Non tamen requiritur, ut omnes missæ de *Requiem* dicantur, licet conveniat in diebus permissis. An autem omnes triginta missæ ab eodem sacerdote celebrari debeant, disputatur; quia

(1) S. R. C. 28 Oct. 1628, n. 625-772 in fine.

(2) P. 1, tit. 5, d. 16.

licet in textu s. Gregorius eidem sacerdoti præcipiat, non addit tamen *per te*. Triginta missæ s. Gregorii inceperunt a trigesimo die post mortem Justi elapso; incipi tamen possunt ab alio die opportuno, et potius a die obitus seu depositionis, ut citius defunctis consulatur (1).

---

DE MISSIS PRIVATIS DEFUNCTORUM.

**64.** Quandonam prohibetur et permittitur missa privata de *Requiem*?

R. Prohibetur 1° omnibus diebus dominicis et duplicibus (2); 2° diebus infra octavas epiphaniæ, paschatis, pentecostes, ss. Corporis Christi, et nativitatis Domini, feria 4<sup>a</sup> cinerum, tota hebdomada sancta, vigiliis epiphaniæ, pentecostes et nativitatis Domini (3); 3° tempore expositionis ss. Sacramenti ob causam privatam, ad altare expositionis tantum (4); quando autem exponitur ob causam publicam, ad omnia altaria ecclesiæ (5). Consuetudine tamen in his locis vigente non servatur, ut missæ de *Requiem* non celebrentur ad alia altaria, quandocumque ss. Sacramentum detectum seu publice exponitur, nisi expositum sit majori cum solemnitate, ut in precibus 40 horarum, perpetua adoratione et similibus, quibus missæ de *Requiem* certo non conveniunt. 4° Diebus stationis ecclesiæ vel alterius solemnitatis, in quibus, licet stricte loquendo, si ritus semiduplex aut simplex permittat, rubricæ et decreta missam de *Requiem* non

(1) Vid. Gavantus p. 1, tit. 5, litt. d.; Bened. XIV, de sac. missæ, sect. 2, n. 208 et 209, edit. Lov.; Quarti quæst. proœm. sect. 5, p. 4 et p. 1, tit. 5, dub. 16; Cavalieri t. 3, c. 13; Lucius Ferr. missæ sac. art. 14, n. 24-31.

(2) Rub. gen. tit. V, n. 2; S. R. C. 5 Aug. 1662, n. 2031-2178.

(3) Dec. initio missalis, item 28 Sept. 1675, n. 2601-2753; 22 Aug. 1682, n. 2846-2995, 1; 16 Sept. 1730, n. 3841-3991, 7.

(4) S. R. C. 14 Junii 1873, n. 5551, II.

(5) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 4032-4181, 9; Gardellini instr. Clem. § 17, n. 2, 3 et 4.



prohibeant, eam tamen celebrare non convenit ob solemnitatem (1).

Duas tantum exceptiones vide n. 58 et n. 59 ad 2.

Omnibus reliquis diebus missa privata de *Requiem* permittitur.

Not. 1° per dominicos intelligi ipsos dies dominicos, non autem dies feriales, in quos officium dominicale anticipatur; per octavam ss. Corporis Christi intelligi illam, quæ in universali Ecclesia incipitur feria quinta post festum ss. Trinitatis; dies quibus prohibitum est legere de *Requiem* aut votivam intelligi tam respectu celebrantis quam respectu ecclesiæ in qua celebratur, ut dicitur n. 99.

Not. 2° si ex benefactorum (seu testatorum) institutione Missæ privatæ de *Requiem* celebrandæ, incidant in festum duplex (vel in aliam diem ut supra impeditam), tunc ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii juxta mentem eorundem benefactorum: atque ita Sanctitas Sua benefactorum mentem impleri voluit *die 5 Aug. 1662* (2).

Not. 3° iisdem diebus etiam prohiberi missas de *Requiem* cantatas et solemniter celebratas cum sacris ministris extra diem obitus seu depositionis, anniversarium, tertium, septimum, trigesimum, aut extra certos dies a fundatoribus determinatos, de quibus numeris præcedentibus actum est, nisi speciale habeatur indultum (3).

Not. 4° licet prohibeantur missæ de *Requiem* exposito ss. Sacramento, ut supra dictum est, non tamen prohiberi pro defunctis dici ps. *De profundis* et *Miserere* cum *Requiem æternam* in fine, *A porta inferi*, etc. (4).

(1) Vid. dec. S. C. Indulg. 11 Ap. 1864, in Actis S. Sedis vol. 1, fol. 42.

(2) N. 2031-2178, ut habetur initio missalis, item 4 Aug. 1674, n. 2557-2709.

(3) S. R. C. 28 Sept. 1675, n. 2601-2753; 13 Jul. 1709, n. 3664-3813; 27 Mart. 1779, n. 4244-4393, 5.

(4) S. R. C. 16 Dec. 1828, n. 4496-4645, 5.

DE ORATIONIBUS IN MISSIS DEFUNCTORUM.

**65.** Quot orationes dicuntur in missis defunctorum?

R. 1° Dicitur una tantum oratio in die commemorationis omnium defunctorum, in die depositionis, in die tertio, septimo, trigesimo, et anniversario pro defunctis (1). Idque locum habet in omnibus missis de *Requiem*, sive cantentur, sive simpliciter legantur, non tantum in die commemorationis fidelium defunctorum, sed etiam, modo missæ privatæ defunctorum permittantur, in die obitus seu depositionis, et toto tempore intermedio, quo corpus manet insepultum (quod, ut dictum est initio n. 55, pro uno die reputatur), in die tertio, septimo et trigesimo, ac anniversario; quando dicitur prima, secunda aut tertia missa cum unica tantum oratione conveniente: rubricæ enim non distinguunt quoad hos dies inter missam solemnem et privatam, et loquuntur eodem modo de die depositionis et aliis, sicut de commemoratione fidelium defunctorum, in qua in omnibus missis dicitur una tantum oratio (2). Aliud tamen est de missis de *Requiem*, quæ leguntur in exequiis pro anima defuncti, cujus corpus jam aliquibus diebus terræ mandatam est; in quibus tres saltem orationes dici debent, quia leguntur extra diem depositionis.

2° Dicitur una tantum oratio, *quandocumque pro defunctis solemniter celebratur* (3), id est, 1° quoties missa decantatur cum diacono et subdiacono, sive cum sive sine concursu et pompa exteriori (4): quia missa cum diacono et subdiacono vere est sollemnis, et solemniter celebratur, cum rubricæ in ritu celebrandi missam, solemnitatem aliam non præscribant. 2° Quoties missa cantatur, unica oratio dicenda est, præterquam in missa conventuali prima die mensis et feria secunda,

(1) Rub. gen. tit. V, n. 3.

(2) Cavalieri t. 3, dec. 78, n. 1 et 2.

(3) Rub. gen. cit.

(4) S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 5183, 22.



ut infra dicetur (1); licet enim missa cantata sine diacono et subdiacono stricte solemniter dici nequeat, missæ tamen solemniter privilegiis perfrui dicenda est; sic in missa cantata diei in duplici 2 cl. omittitur commemoratio simplicis, in ea plures accenduntur candelæ, etc.

3º In aliis missis extra commemorationem fidelium defunctorum, diem depositionis, tertium, septimum, trigesimum et anniversarium, si non solemniter celebrentur, plures dicuntur, ut de feriis et simplicibus dicetur, n. 77 (2). Scilicet semper tres orationes dici debent, plures tamen etiam semper dici possunt, usque ad quinque aut septem, dummodo ultimo loco dicatur *Fidelium*, et curetur, ut sint numero impares (3).

Quæ orationes dicuntur in missis de *Requiem*?

R. I. Si unica dicatur oratio, hæc conveniens esse debet personæ aut personis, pro quibus celebratur (4). Quando celebratur pro defunctis vage sumptis, v. g. pro quibus parochiani infra annum elemosynas erogare solent, dicenda est Oratio: *Deus veniæ largitor* etc. (5).

II. Si plures dicantur orationes, tunc prima semper dicenda est *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes*, quæ prima ponitur in missa quotidiana (6). Ratio est, quia in missa sine

(1) S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 5208, 11; 19 Junii 1875, n. 5612, I et III; 4 Sept. 1875, n. 5628, II et III; Petrocoricea 13 Julii 1883, n. 5883, 2.

(2) Rub. gen. tit. V, n. 3.

(3) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 3970-4119, 4.

(4) S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 5208, 11.

(5) S. R. C. 12 Aug. 1884, n. 5918, 1.

(6) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 4633 4782, 7; 23 Sept. 1837, n. 4666-4815, XI, q. 1; 12 Aug. 1854, n. 5268, 10, et 16 Sept. 1865, n. 5355, in *Tuscanen* in quo petitur: "An in missis quotidianis de *Requiem* sacerdos sive ratione elemosynæ sive legati, private celebrans, pro aliqua aut pro aliquibus determinatis personis defunctis, debetne indiscriminatim dicere primam orationem, *Deus qui inter Apostolicos*, etc. primo loco in missali assignatam: an potius loco dictæ primæ orationis tenetur aliam dicere ex diversis in eodem missali positis, quæ conveniat ei, aut iis determinatis personis, pro quibus missam applicet? S. eadem C. proposito dubio rescribere rata est: Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam." Dissertationem, in qua de hac oratione disputatur, vide in fine 4 edit. tom III, fol. 361.

auctoritate Pontificia nihil mutari licet. Ne autem defunctus, pro quo celebratur, privetur fructu speciali orationis sibi applicandæ, ejus oratio secundo vel ulteriori loco recitari potest; et idem erit fructus orationis, sive primo, sive secundo aut ulteriori loco dicatur: quamvis autem ejus etiam oratio prætermittatur, susceptæ tamen satisfit obligationi, prout in casu, quo celebratur pro defunctis vage sumptis, ut infra not. 3 dicitur.

Secunda est *Deus veniæ largitor*, quæ in missa quotidiana secundo loco ponitur; stricte autem præcepta non est, quia a S. R. C. declaratur, aliquando pro illa impune subrogari aliam v. g. pro patre, pro matre etc. ita ut celebrans aliam ejus loco substituere possit (1).

Orationes quæ ultra tertio, quarto, quinto aut etiam sexto loco adduntur pro libitu sacerdotis, desumendæ sunt ex illis, quæ pro defunctis in missali post missam quotidianam assignantur. Convenit autem, ut in his orationibus servetur ordo missalis, ita ut, quæcumque ante aliam in missali ponitur, ante aliam etiam in missa recitetur.

Ultima oratio semper esse debet *Fidelium Deus*, quæ tertia ponitur in missa quotidiana (2).

Not. 1º In missa conventuali prima die mensis et feria secunda non impedita, tres orationes dicuntur, ut in missa quotidiana ponuntur, quia hæc missa generaliter pro defunctis sacerdotibus, benefactoribus et aliis applicari debet juxta rubricas tit. V, n. 1 (3).

2º Si celebretur pro omnibus fidelibus defunctis, dicuntur orationes, ut in missa quotidiana ponuntur, quibus tamen duæ aut quatuor aliæ pro libitu adjungi possunt, modo ultimo loco dicatur *Fidelium*, ut dictum est in fine n. 54.

3º Missa de *Requiem* celebrari potest pro defunctis vage sumptis, ut dictum est, id est pro quibus communitas debet applicare aliquam vel aliquas missas, quin celebrans sciat determinate, sitne pro sacerdote, pro laico, pro viro, pro

(1) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. cit. et 12 Aug. 1854, n. 5208, 10.

(2) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. cit.

(3) S. R. C. 19 Junii 1875, n. 5612, 1.